

benda deliberacione deduceretur. Et deinde, si aliqua parcium uellet, ad curiam regiam, iuxta libertatem dictorum nobilium, examen huiusmodi Iudicij transferre posset, vbi autem aliquis causidicus, vel litigans, coram ipsis ambobus Comitibus aliquatenus conuinceretur, duas partes birsagiorum, vel aliorum grauaminum, Comes prefatorum filiorum prefati Martini Bani et domine, eorumque successorum, terciam vero annotatus Comes terrestris ipsorum predialium semper pro se reciperent et tollerent, nec hoc pretermisso, quod prefati domina et Georgius filius ipsius Martini Bani, nominibus quorum supra predia subscripta et eorundem particulas prefatum Martinum Banum ab eis receptas, et alienata uidelicet predictum predium Rempoch condam Johannis filij Fabiani nobili domine filie sue coniugi predicti Benedicti filij Mykech; item predium Fodorostyna prefato Ladislao filio Michaelis filij Valentini, sub eisdem metis, quibus tenta fuissent, deinde de predio Saulfelde fenetum quadraginta curribus aptum, quod ipse Martinus ad suam propriam Curiam de Tapalouch applicasset; item de predio Lukanoch illam particulam terre arabilis, quam ipse Martinus Banus pro se ad ciuitatem suam Reyche applicasset, Anthonio filio Valentini cum fratribus suis; item de predio Pribinouch, tria iugera terre arabilis, et unum fenetum ad possessionem suam Konzka occupatas, deinde de predio Hranizlouch, illum montem, qui ante prefatam Reyche haberetur, et quem ipse Martinus eidem Reyche applicasset, post hoc de predio Roysna illam partem cum loco sessionali ipsius predii, quas ipse Martinus pro se habuisset, Vrbano filio Fabiani et Emerico filio Adriani; item predium Radoslastyna ex integro Emerico filio Fabiani, in heredum heredes, sub condicionibus et libertatibus antiquis, iure perpetuo tenenda duxerunt pleno iure remittenda, eatenus veluti eis ab antiquo pertinuisset, predictum eciam Wulchakostyna, quod pro nunc ipse Nicolaus ruffus possidet, et quod vnum ex dictis predijs prescriptorum predialium exstilisset, in numerum eorundem prediorum vice versa computarunt, et inmiscuerunt, sub dacijs et seruicijs, libertateque preassertis. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem, presentes nostras litteras priuilegiales, sigillis nostris authenticis pendentibus communitas, ipsi Elie Comiti terrestri et alijs prelibatis predialibus duximus concedendas. Datum Albe tricesimo sexto die octauarum diei Medixline (sic) predictarum. Anno domini Millesimo quadringentesimo decimo nono.

Originalis membr. in Archivio Regni Croatiae N. R. A. 561. Nro. 36.